

pturis divinis conformes, quos imitabimur :
rejeētis contrariis.

DISPUTATIO IX.
DE LIBERO ARBITRIO ; SIVE
de viribus humanis.

THESIS I.

STatus huius loci est: *Quales sint vires huma-
nae post lapsum in efficienda obedientia legis.*

2. Græci vocant αὐτεξουσίαν, αὐτεξουσιότητα,
αὐτεξούσιον, τὴν αὐτὴν ἐξουσίαν, ἐλευθερίαν προαί-
ρεσιν, τὸ ἐφ' ἡμῖν.

3. Latini, liberum arbitrium, liberam vo-
luntatem, arbitrium sive libertatem volun-
tatis, libertatem. Augustinus: Potestatem vo-
luntatis, ex i. Cor. 7. v. 37.

4. Ubi talis extat descriptio liberi arbi-
trii, quod sit *deliberatio in corde, sive electio cordis,*
in illis rebus, in quibus voluntas habet potestatem.

5. Est quædam *libertas naturæ* ante lapsum :
est etiam *libertas veritatis*, Johan. 8. vers. 36. sive
Spiritus 2 Corinth. 3. vers. 17. sive *gratiæ* : nempe
in renatis per Spiritum sanctum, quoad men-
tem & voluntatem. Deniq; est *libertas gloriæ*
in vita æterna.

6. Quia Pelagius ex appellatione liberi ar-
bitrii argumentabatur contra sanam doctri-
nam ; D. Augustinus vocat *arbitrium captivum*

D

ium,